





*Pri. 62. num. 4.*

8

1765,3

18

DECANVS

ORDINIS ICTORVM IN PERANTIQUA ELECTORALI  
ACADEMIA ERFVRTENSI

D. RVD. CHRISTOPH.  
HENNE, IC<sub>T</sub>V<sub>S</sub>

IUDICII PROVINCIALIS ELECTORALIS ADSESSOR, NEC NON CODICIS  
ET IVRIS FEVDALIS PROFESSOR PUBLICVS ORDINARIVS,

SOLEMNIA IN AVGVRALIA

PRAENOBILIS, AMPLISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI

DN. ADAMI IGNATII TVRIN

HISTORIARVM ET PHILOSOPHIAE PRACTICAE PROFESSORIS PUEL. ORD.  
BIBLIOTHECAE ACADEMIAE BOINEBURGICAE DIRECTORIS NEC  
NON PACVLTATIS IVRIDICAE ADSESSORIS DESIGNATI

AD DIEM XXV. MAII MDCCXLV.

IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI  
PERAGENDA,

INDICIT,

SIM VLVQVE DE

TRANSACTIONE SVPER CONTROVERSIS  
EX TESTAMENTO NATIS,  
QVAEDAM PRAEFATVR.

ERFORDIAE,  
STANNO HENR. RVD. NONNII. ACAD. A TYPIS.



TRANSGECTIONE SAEVER CONTOURRIIS  
EX TESTIMONIO NATIS  
GARDINIA PRESSATA

ESTAVGIA

STAMINO HENR. IAD. NONINI AGRA. A. 1712.



Omittam vero transactio[n]es libet p[ro]p[ri]etate tenuis quae  
autem secundum lege p[ro]p[ri]etatem vel mercantilium ex debiti  
tunc que in iure publico sive iure sociali & contractuum legum  
versus comprehenduntur (ceteras iuris p[ro]p[ri]etates & ceterae  
convenientiae, exinde omnes sunt distinctiones, non  
sunt p[ro]p[ri]etates iuris) P[ro]p[ri]etatis debet in transactio[n]e non  
sunt p[ro]p[ri]etates iuris. Primum, quod est in transactio[n]e, & secundum  
quod est in transactio[n]e, non sunt p[ro]p[ri]etates iuris.

**T**ransactionem communē esse, sicuti sponda-  
rum remedium, & argumentorum in jure &  
facto dubiorum non gratuitam compositionem,  
nemo erit, qui in dubium vocare velit. Quare  
missis & insuper habitis tricis, a nonnullis interpretibus in  
scenam productis, disquirentibus, utrum transactio sit pa-  
ctum, an contractus, isque vel nominatus, vel innomina-  
tus? eo magis in numerum inutilium distinctionum reii-  
ciendis, quo certius constat, omne pactum certam & fir-  
mam producere obligationem, omnemque differentiam



inter pactum & contractum, eumque vel nominatum,  
vel innominatum, jure Romano omne punctum ferentem,  
quoad hunc passum, hodie esse otiosum, & aeterno apud  
nos multatam, auxilio.

§. II.

Omnem vero transactionem supponere rem dubiam, itemque vel praesentem, vel metuendam, ex definitione supra allata, prono fuit alueo, & clarissimis legum verbis comprobatur a) cessante igitur dubio, & cessante controversia, exulare etiam transactionem, lippis & tonforibus notum est. Præterea requiri in transactione, non gratuitam remissionem, ipsa natura rei postulat, & leges sanciunt b) in eo enim differentia transactionis a donatione, quam maxime est conspicienda, & semper obvia

a) l. 1. ff. de transactionibus

b) l. 38. C. de transactionibus.

§. III.

Saluberrimum esse transactionem medium, in foren-  
fium litium præscindendarum astu, omnes comprobant,  
ordinationum judicialium sanctiones, vt pote in quibus  
hoc argumentum vt palmarium, & judicibus, omni, quo  
fieri potest modo tentandum, clarissimis perhibetur ver-  
bis. Quæ sanctiones non in primordio litis solum, sed  
etiam in qualibet judicii parte, imo & post rem judica-  
tam, sibi locum vindicant, cum quotidiana edoceamur  
expe-

\* \* \* \* \*

experientia, ipsam etiam rei judicata executionem, multis adhuc obnoxiam esse remoris, anfractibus, & molestiis, ita, ut sepius expediat, concordi eiusmodi compositione, sumrum, & temporis perditioni, obicem pone-re. Merito igitur, rebus sicstantibus, nota dicenda erit  
VLDALRICO ZASIO a) & VENTVR. de VALENT. b) statutibus, judicem non oportere partibus auctorem esse, ad concordiam ineundam, post merita causæ didicita, imo illum peccare, si illi, qui justa nititur causa, suasor ad transactionem ineundam esse velit.

a) ad l. 26. ff. de re judicata.

b) in Parthenio litigioso lib. 2. cap. 4. n. 9.

§. IV.

Ea, quæ huc usque in medium prolatæ sunt, satis, nisi omnes fallimur, innuere videntur, omnes judiciales controversias ita esse comparatas, vt regulariter transactione queant componi, vtut vero firmo stet hæc regula talo, sunt tamen jure Romano speciales quædam causæ proditæ, de quibus ob peculiares rationes, in compendiis & Systematibus ubique obuias, valida non initur transactio, pertinent hunc in censum, delicta priuata futura, adulterium, crimina non capitalia, alimenta futura, referunt etiam huc nonnulli interpretes, controversias ex testamentis ortas, vtpote de quibus auctoritate CAII a) innixi, statuunt, de iis non transfigi, nec veritatem, aliter exquiri posse, nisi inspectis & cognitis verbis illorum.

A 3

§. V.

\* \* \* \* \* II \* \* \* \*  
a) in l. 6, ff. de Transact.

§. V.

Ex verbis legis modo adducta, interpres magno numero concludunt, jure ciuili, omnem transactionem de controuersiis ex testamento natis factam, antea non inspectis verbis illius, non valere, & haec opinionem altas egit radices, ut communis facta, & ut talis defensa fuerit. Verum enim vero communem sententiam, saepe esse communem errorem, & ignorantiam subsidiorum interpretationi inseruentium & Glossatoribus legum multoties crucem fagentium, multas peperisse insulsas sententias, per inductionem, tamquam optimum probandi modum, ab iis, qui masculam & elegantiorem amant jurisprudentiam, seculo 16 a CVIACIO eiusque asseclis pricipue excultam, satis euictum est.

§. VI.

Quare certo certius statuit IACOBVS LABITTVS a) hanc mentem CAII in lege supra allata, neutquam fuisse, sed potius transactionem tempore CAII non inspectis licet tabulis testamenti omnino validam fuisse, & controuerbis finem imposuisse, idque analogia juris & aequitati quam maxime respondere. Quid enim aequius est, quam lites partium consensu bona fide soperitas, altera intuta non resuscitari, non obstante testamenti antea non inspecti causa, cum facile haeres, legatarius & fideicommissarius ante

ante transactionem illius inspiciendi copiam" remediis  
 eum in finem in jure proditis consequi potuerit, & interdicto de tabulis exhibendis fine suo potiri ipsi integrum fuerit, quodsi vero hac neglexerit, & ex transactione lxxsus fuerit, habet, quod sibi, non quod alteri parti ex transactione emolumentum capienti adscribat, cum damnum culpa sua passus, non intelligatur passum b) præcipue cum utrobique supponatur, transactionem bona fide fuisse initam, dolumque malum absuisse c) Ad naturalem hanc æquitatem accedit analogia juris, & auctoritas Pratoris, generaliter jubentis, pacia bona fide, nec contra leges & in illarum fraudem inita, esse seruanda d) jam vero recte animaduertente incomparabili GERHARDO NOODTIO e)  
 nec vola nec vestigium legis in omni antiquitate exstat,  
 qua controversia ex testamento proficiscentes, per transactionem ideo sopiri prohibeantur, quia non prius inspectæ fuerunt tabulae testamenti, imo potius in alia omnia iuerunt Imperatores DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS f) expresse mandantes, sub praetextu instrumenti postea reperti, non debere rescindi transactionem bona fide initam. Quia cum ita sint, in instrumento antea non cognito, & post demum reperto, eo magis procedent, in testamento jam cognito, tenore tamen non inspecto.

a) primo indicis sui vsu n. 23. pag. 297, seq.

b) l. 203. ss. de regulis juris.

c) 1.



a) l. 7. §. 10. ff. de pactis.

b) l. 7. §. 7. ff. de pactis.

c) In Iulio Paulo cap. 7.

d) l. 19. C. de transactionibus.

### S. VII.

Huc usque ex æquitate & analogia juris, transactionem non inspectis testamenti tabulis, de controuersiis ex illo ortis validam esse, probauimus, nunc etiam Legi nostræ 6. ff. de transact. diserte ut videtur id prohibenti erit satisfaciendum. Qua in re album calculum adiicimus profunde docto CVIACIO a) opinanti viatio TRIBONIANI hoc argumentum a suo auulsum fuisse titulo, & in locum plane alienum reiectum, quod supra laudatus NOODTIVS b) etiam ex inscriptione capitis demonstrat, ita se habentis: *Caius lib. XVII. ad Edictum prouinciale*, vtpote ex qua appetet, illud non pertinere, ad Edictum de pactis ac transactionibus, sed ad Edictum de tabulis aperiendis, quod etiam arguit l. 1. in princ. §. 1. ff. testamenta quemadmodum aperiantur ex eodem CAII libro 17. ad Edictum prouinciale desumpta, vbi sensus Edicti talis est: omnibus, qui desiderant, tabulas testamenti inspicere, vel etiam describere, describendi, inspiciendi que potestatem facturum se prætor pollicetur, ad quæ yerba ita commentatur CAIUS: Ratio autem huius Edicti manifesta est, neque enim sine judice transfigi, neque apud judicem exquiri veritas de his controuersiis, quæ ex

\* \* \* \* \*

ex testamento proficiscuntur, aliter potest, quam inspectis cognitisque verbis testamenti. Ex quibus verbis elucet CAIVM id demonstrare, Edictum Pratoris eo spectare, vt omnibus id desiderantibus, inspiciendarum & describendarum testamenti tabularum, fiat copia, & vt quacunque ratione jumentur illi, qui controversiarum ex testamentis ortarum, componendarum, debito flagrant desiderio, neutquam vero hoc Edictum cupere, transactionem bona side, non inspectis tabulis factam, debere esse irritam & superuacaneam, de quo etiam altum ibi est silentium, quare etiam CAIVS Iureconsultus & interpres huius Edicti pratorii alium ipsi non potuit adscribere sensum, neque etiam reuera adscriptis, quia tantum de facto, non de jure locutus est, docente SCHIFERDEGGERO c)

a) Obseruat. & Entendat. lib. 3, cap. 37.

b) in Julio Paulo cap. 7.

c) in Disp. Foresi, ad Anton. Fabr. lib. 2, tract. 25, quest. 7.

### §. VIII.

Obstare quidem videtur huic sententiae, ultimorum voluntatum fauor, qui Germanis etiam semper dicitur curae cordique fuisse, & qui etiam in contrariam sententiam mouit acutissimi alias ingenii Istum SCHILTERVM

a) vt auctoritate TACITI b) nixus, pietatem erga defunctum requirere, statuat, vt prius quam tansactio fieri

B

possit,

possit, testamenti tabulae inspicienda sint, nec minus profundissimus VINNIUS c) idem sentiens, adstruit, publice expedire, ut supra hominum judicia exitum habeant, nec per transactiones huiusmodi facile circumveniantur. Verum enim vero rite licet expensis his rationibus, sententiae nostrae firmiter adhuc adhaeremus, non enim sequitur ex fauore testamentorum, transfigi de illis non posse, nisi visis & inspectis tabulis, dantur siquidem multo plures fauorabiles causae in jure nostro, transactionem non respuentes, vnde etiam sponte sua corruerit ratio VINNII, vt pote quæ nimium probat, & per consequens nihil, si enim publice interest, ut ultima hominum judicia exitum habeant, nec repudiare licet hereditatem testamento oblatam, & inuitu etiam res legata acquiri deberet, quæ vero cum aliter se habeant, ratio etiam inde perita, corruerit.

a) Exercitat. ad ff. 9. §. 6.

b) in Germania cap. 17.

c) Select. juris quæst. lib. I. cap. 8. pag. 38.

### §. IX.

Deinde provocant contrariae sententiae propugnatores, ad ipsam naturam transactionum, in eo potissimum sitam, ut res sit dubia & controversa, ante inspectionem autem rem dubiam neque dici, nec certain posse defendi, accedere etiam adstruunt CAIL in lege adducta a) negatio-

gationem non potest transfigi iis rebus adaptari solitam, quæ ex natura sua aliquid non admittunt, v. g. seruis rei publicæ causa abesse non potest, fœminæ judices esse non possunt. Ast quod prius attinet argumentum, supponitur in omni eiusmodi transactione, tenorem testamenti plane incognitum non esse, sed ad notitiam illorum, quorum interest, alio modo peruenisse, ita, ut testamenti tabulis etiam non inspectis, e re sua ducant, litibus ex testamento metuendis obuiam ire, quis vero est, quem fugiat, non solum ipsam item, sed etiam metum litis, transactioni locum facere, quod etiam adstruit, subtilis ingenii Itus NICOLAVS HIERONYMVS GVNDLING b) Quod alterum dubium spectat, satis superque constat, particulam istam non a TRIBONIANO sapientibus legibus suis additam, & in mentem CAII illam etiam hic non venisse, multis argumentis euictum dedit GVNDLINGIVS c)

a) 6. ff. de transactione.

b) in Dissertatione: de transactione, testamenti tabulis non inspectis cap. 4. §. 13. seq.

c) in Dissertatione modo citata cap. 4. §. 17. seq.

### §. X.

Vlterius arcem sententiaæ suæ in arguento legum ponunt, & exinde, quod de alimentis futuris non liceat aliter transfigere, nisi vel causa a magistratu cognita a) vel alimentario conditionem suam meliorem reddente b)

concludunt, transactionem etiam de controversiis testamentariis, nisi apertis & inspectis tabulis esse validam, sed reponimus huic ratiocinio, communem illam logicalem regulam: a diuersis ad diuersa non valet consequentia, longe enim alia est ratio horum alimentorum, a controversiis testamentariis toto cœlo differens, & in eo consistens, quod alimentarius portioni sua mediante transactione renuntians, ad incitas redactus, oneri reipublica cedat, que ratio in aliis transactionibus sibi plane non locum vindicat, & hinc argumentum inde tractum, inane ac fallax est habendum.

- a) l. 8. de transact.
- b) l. 8. §. 8. seq. ff. de transact.

#### §. XI.

Denique urgent, jureconsultorum communem consensum, legis instar habendum, & vim juris non scripti obtinere debere, accidente præsertim judiciali obseruantia, in legibus interpretandis omne punctum ferente. Sed stramineum valde est hoc fundamentum, cum multitudo errantium, errori non præbeat patrocinium, neque etiam error potest jus facere, & effectum consuetudinis sortiri, a libertate vtentium dependentis, recte docente illustri THOMASIO. a) Neque etiam dici potest, communem hic esse consensum, cum adhuc dentur Iureconsulti, alia omnia statuentes, & contrariam sententiam

tiam rationibus sicut prægnantibus defendantes, supra in medium prolati. Rector proin rationes subduxit. Idus celeberrimus BACHOVIVS b) non numerandas, sed ponderandas esse sententias Iureconsultorum, dum sapientia gruem sequatur, & alius alium non judicio, nec ratione, sed auctoritate tantum ductus, sequatur. Idem etiam in judiciali obseruantia obtinere, res ipsa loquitur, non enim omnium judiciorum uniformis est sententia, nec judices hac vel illa ratione sententiam preferentes, aliis meliora edocere legem dicere possunt, ut illi etiam imposterum & in omne annum tamquam glebae adscripti adhaerere debeant, dies enim diem docet, nullumque impedimentum obstat, quod aliis obiceat ponat, quo minus errores ab antecessoribus suis commissos, corrigerem possint.

- a) in Diff. de jure consuetudinis §. 6;
- b) vol. I, de Iustitia & jure thes. 8,

### §. XII.

Cum vero anceps & in utramque sententiam hac de re quaestio moueat, STRYCKIVS auctor est a) ut in ipso instrumento transactionis contentorum testamenti mentio fiat, ut ex inde constet, illius tenorem transfigenti non plane fuisse incognitum, & insuper habitum v. g. Nachdem mir glaubhaft von denjenigen Personen, so



Das Testament selbst gelesen, berichtet worden, daß der Testator mir darinnen sein Wohnhaus vermacht habe, mir aber dasselbe anzunehmen, verschiedener Ursachen halber, bedenklich fällt, so habe mich mit Mevio als Erben dahin verglichen &c. &c. Quæ cautela non est, vili floccique habenda, dum per illam variis a rabulis excogitatis fraudibus repagulum ponitur.

a) in cauētis contractuum sest. 3. cap. 7. §. 7;

Plura hac de re in medium forent proferenda, nisi illius qui nobis hanc paginam fecit, mentio esset facienda, & qui in lectiōne sua cursoria vberius ad ea, quæ in hoc argumento restant, doctrina sua eruditio-  
nis plena commentabitur, nimirum speciminum inaug-  
uralium edendorum caufa supremam cathedram. con-  
scendet,


VIR PRAENOBILIS, AMPLISSIMVS  
ET CONSVLTISSIMVS

DN. ADAMVS IGNAT. TVRIN,


HISTORIARVM ET PHILOS. PRACTICAE PRO-  
FESSORIS ORDIN. RELIQVA.  
Natus 17. Maii Anno 1729. Erfordiae, Patre prenobilissimmo Dn. JOHANN EIGNATIO TVRIN Iuris utri-

usque Doctore ibidem in Senatu Praefecto atque Caussarum Patrono Ordinario, Matre vero Maria Eleonora nata STRECKERIA. Cura optimorum Parentum, quo usque in Viuis erant, indefessa fuit; Primogenito suo a prima etate Virtutis non solum instillare Praecepta; sed & aptum, ut videbatur, Artium Liberalium studio committere. Itaque in Gymnasio Erfordiensi sub Parentum Oculis Triuialia & eleganioris philologia fundamenta jecit: Missus deinde HAGLORDIN in celebri, quod ibi est, Atheneo non solum Philosophiae singulas Partes, sed & Theologiam dogmaticam & practicam a Professoribus lectissimis ex Ordine Patrum societas Iesu per quadriennium gauiter edocetus est: Quod stadium litterarum publica Disputatione philosophica Anno 1746. coronauit. Reuerso in Patriam Omnium quidem bonarum Litterarum Ardor insedit; in primis vero, posteaquam praeitura summi Viri GORDONI studium Matheos interrupissent, Iurisprudentiae totum se dedit. Adhæsit proinde Iuris Consultris Antecessoribus experientissimis & facundissimis, quorum insignis Numerus Academiam hanc nunquam destituit, qui tunc eminentissime florebant & adhuc ex parte florēnt, nimirum Celeberrimo ROTERMUND, STRECKERO, FRATZSCHE RO, de BELLMONT, BRUCKMANNO, ceteris: quibns Interpretibus Instituta & Pandectas IUSTINIANI, Doctrinam Canonomum, Feudorum & Ius Imperii Nostri Romano germanici Publicum, reliqua, non præterauigando, quæ omne hic pun-

ctum



statu ferunt, Historiae tam sacre, quam politice subsidia, emen-  
sus est. Ad Praxeos Iuris Fundamenta illi matura satris & non  
patula omnibus occasio fuit, siquidem vix absolutis his studiis  
in Iudicio nostro Provinciali per biennium Secretario a latere  
& maiori fuit atque Consultissimos Viros huius Iudicij Adsefio-  
res in referendo & statuendo non exiguo Profectu suspexit,  
donec ab Eminentissimo Nostro & Clementissimo quondam  
Principe Electore FRIDERICO CAROLO ad Officium  
Publicum expediendi Caussas Tutelares Civitatis nostra prumo-  
ueretur. Quoniam vero, quod reliquum fuit ab officio hoc  
temporis, id omne in excolenda Iurisprudentia collocauit eam-  
que bono successu aliis tradere cœpit, Idem Clementissimæ Me-  
moriae Princeps Elector FRIDERICVS CAROLVS Anno  
1758. illi, quum a Facultate nostra pro Gradu Doctoris Iuris  
examinatus & adprobatus esset, Munus Professoris extraordinarii  
Iuris Naturæ, Gentium & Publici in Academia Erfordien-  
si clementissime contulit. Porro Anno 1762. in Professione  
Publica Philosophie Practicæ & Historiarum simulque in Mu-  
nere Directoris Bibliothecæ, que splendida Augmenta Acade-  
mia Nostra Immortalis Memoriae Mæcenati. Illustrissimo quon-  
dam S. R. I. Comiti de BOINEBURG, Proprincipi No-  
stro gratiosissimo in acceptis resert, ab Illustrissimo S. R. I.  
Comite JOSEPHO FRANCISCO de SCHOENBORN  
in Buchheim &c, Sacre Cæsarea Maiestatis Camerario, Emi-  
nen-



nentissimi Principis Electoris Consiliario actuali intimo & Vi-  
cedomino in Aschaffenburg &c. tanquam Patrono huius Fun-  
dationis cum spe succedendi Perillustri Domino Libero Baroni  
de BELLMONT Eminentissimi Principis Electoris Mogun-  
tini Consiliario intimo & virbis Erfordiensis Praetori substitutus,  
Academiae Nostrae presentatus atque receperus est. Denique nu-  
perrime Eminentissimus Princeps Elector EMERICVS IO-  
SEPHVS, Princeps ac Dominus Noster Clementissimus, illum  
in locum Auunculi eius, Domini CONRADI GUILHELMI STRECKER, Consiliarii Regininis Electoralis & Consu-  
lis primarii Senatus, Collega Nostri in viuis Amantissimi, pie  
defuncti ut Adsefforem Facultatis nostrae Iuridicæ clementissime  
designauit, quod Officium ut Autoritate & Ordine Maioribus  
nostris Nobisque semper solenni auspicaretur, dignitate Docto-  
rali a Nobis inuestiri modeste petiit, quibus petitis eo magis  
locum dedimus, quo extantiora jamdum eruditioris suæ speci-  
mina ante aliquot annos nobis dedit, dum ad examen, quod  
vocant rigorosum admissus, textus vtriusque juris non solum  
optime interpretatus est, sed & apertissimis suis responsionibus  
dubiis sibi propositis adeo satisfecit, vt qui ad summos vtrius-  
que juris honores cum maxima laude admitti queat, dignissimus  
tuuc temporis jamdum fuerit judicatus. Expediet nunc publi-  
ca specimina, vti nulli dubitamus, cum maximo applausu, & fu-  
turo die XXV. Maii hora IX. matutina in l. 6. ff. de transactio-

C

nibus

nibus recitationem solennem habebit, illaque finita Dissertationem suam Inauguralem, continentem

### THESES IVRIS DVBIAS

ex suprema cathedra publice ventilandam proponet, suique animi dotes, & eruditionem insignem in omnium conspectu explicabit. Quo vero hi actus publici splendidiores euadant, Magnificus, summe Reuerendus & Eximius Academia nostrâ Rector, spectabilissimi singularium Facultatum Deeani, Venerabiles Seniores, & reliqui Academicae Proceres, vna cum studiose juuentutis corona, illos honorifice, desideratissimaque sua præsentia dignari, & in primis LL. cultores dignum imitatione exemplum capere velint, ea, qua pars est obseruantia & humanitate rogamus. Dabit ordo noster sedulam & indefessam operam, ut data occasione, nihil intermitat eorum, que ad officia studiaque mutuo declaranda, pertinere videbuntur. Publ. sub Sigillo Facultatis Iuridice, Dominica Examini MDCCCLXV.

**L. S.**

ERFURT, Diss., 1761/67

SS.

ULB Halle  
004 995 333

3



VDR8



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Centimetres  
inches

Pr. 62 num. 4

18

1765, 3

## DECANVS

IS ICTORVM IN PERANTIQA ELECTORALI  
ACADEMIA ERFVRTENSI

# RVD. CHRISTOPH. HENNE, IC<sup>T</sup>V<sup>S</sup>

VINCIALIS ELECTORALIS ADSESSOR, NEC NON CODICIS  
RIS FEVDALIS PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS,

SOLEMNIA IN AVGVRALIA

ILIS, AMPLISSIMI ET CONSVLTISSIMI VIRI

## ADAMI IGNATII TVRIN

ET PHILOSOPHIAE PRACTICAЕ PROFESSORIS PVBL. ORD.  
ECAE ACADEMIAE BOINEBURGICAE DIRECTORIS NEG  
PACVLTATIS IVRIDICAE ADSESSORIS DESIGNATI

AD DIEM XXV. MAI MDCCXLV.

ICTORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI

PERAGENDA,

INDICIT,

SIM VLOVE DE

CTIONE SVPER CONTROVERSIS

EX TESTAMENTO NATIS,

QVAEDAM PRAEFATVR.

ERFORDIAE,  
NO HENR. RVD. NONNII. ACAD. A TYPIS.

